

/ Clarissime vir, et singularis amice. Moleste fero, quod literas tuas priores non viderim, sed longè molestius, quod te ipsum videre non possim. Faxit Deus ut in patria coniungamur, cum ipsius Dei causa in exilio nos disiunxeārit. Ego te, ubicumque fueris,  
 5 sincere diligam, et Roma abeuntem precibus et votis prosequar. Arbitror enim vitam et salutem tuam Ecclesiae Catholicae non mediocriter profuturam, si ad Calvini institutiones serio refutandas animum adieceris; video enim tibi ad opus hoc perficiendum multa suppeterem, quibus vel omnibus, vel nonnullis caruerunt, qui idem o-  
 10 opus infeliciter aggressi, infelicius ad exitum perfuxerunt. Me certe non solum aetas iam provecta, et in senium declinans prohibet eiusmodi opus aggredi, sed multo magis sarcine ecclesiastica, quae gravissima est cum non solum more veteri, assidue concionandum et orandum, vel, ut verbis utar Apostolorum, orationi, et verbo  
 15 Dei instandum nobis sit; sed etiam iuri dicendo et reis puniendis operam dare sine intermissione debeamus. Tibi igitur palmam hanc libenter cedo et iuniori, et instructiori. Dominus Deus noster dona sua in te collata conservet et augeat, ut de hostibus fidei, qui te aliquando captivum misere tenuerunt, gloriose triumphes.. Datum  
 20 Capuae die 6 Septemb. 1602.

frater in Christo tuus

Robertus Card. Bellarminus, Archiepiscopus Capuae.

Justus Calvinus Veteracast

[ F. B. 5, f.115. Minute autogr. ; Fuligatti, Epp. Famil. XXVIII ]